

No 76, 16^b 4, 18 18
368

J. J.

**ACTIONES. INJU-
RIARUM. SACERDO-
TEM. CONCER-
NENTES.**

PRÆSIDE.

JOH. GEORG. SIMONE. D.

PROPONIT.

JUST. GEORG. Falckenreich.

HANNOVERANUS.

AUTOR.

JENÆ. DIE. XV. FEBR. A. C. M. DC. LXXVI.

TYPIS. MULLERI.

49

6

Handwritten in the gutter:
J. J. Simone
actio injuriarum

Handwritten in the bottom left corner:
10
17





Θεός Θεός.

LECTORI SALUTEM.

Distinctissimam flagitiorum cater-
vam, eorundemq; nigrorem, la-
tebris suis extractum, altius apud
me ex merito reputans, nullum
fertilius, nullum intolerabilius,
reperire injuria potui. Primum
siquidem hoc fuit, quod hominem non tantum
paradiso, sed ipsum quoque coelo Satanam ejecit,
quid? integrum perditionis oceanum nobis cu-
mulavit adeo, ut emergere ex eodem satis diffici-
le; evitare illud penitus impossibile præ me feram.
Aspernum insuper hoc extitit, quando quidem
vilissimas pauperum tabernas, Regumque pariter
superbiētia palatia affatim concussit, subinde pro-
stravit, imò radicitus evulsit. Nec Deus, nefan-
dum dictu! ab hâc malorū lernâ satis tutus, quum
fidelissimi ejusdem Administri quovis petulanti
livore iterum atque sæpius immerentes affician-
tur, juxta ac subire scommata, & quosvis alios
malè sanos turbæ insultus exautlare cogantur. O-
ptimè igitur Magistratus officio suo fungitur, si il-

A 3

lusores

lutores eorum, bipedum quippe nequissimos,
condignas dare poenas præcipiat, simul & sanctis-
simum hunc ordinem ab omni labe & maculâ
sartum rectû conservet. Quoniam autem hæc ju-
stitiæ administratio actionem ut plurimum in Fo-
ro legitimam præsupponit, inque eadem, ratione
petiti, se fundat, laterem lavaturum me nequic-
quam spero, si, loco exercitii consvèti, prosecutio-
nem injuriarum, qua Sacerdoti jure conceditur,
subtiliori paulisper crenâ delineaverò, ita tamen,
ut in membro tractationis secundo (ne quidvis
semper in quemvis, & quidem ubivis, liberè evo-
mere, vel aliter agere præsumant) eorum excès-
sus modestè insimul annectam, qui parili ferè,
tam à Theologis, quam Jureconsultis cordatori-
bus, carbone taxantur. Absit interim, quo de
sanctè protestor, à me omnis inordinate se ha-
bens affectus & passio, cesset quævis, vel minima
licet, quenquam cavillandi libido! Veritas nem-
pe stat suo talo immota, quæ, si forsitan observe-
tur, Lector benevole, bilem Tibi adversus
seipsam, jejuno licet cum effectu,
commovebit; Vale.



Membrum

MEMBRUM PRIMUM ACTIONEM INJURIA- RUM SACERDOTI COM- PETENTEM PROSEQUITUR.

Thesis I.

EST autem hæc *actio injuriarum* personalis, quæ, quippe ex delicto orta, datur Sacerdoti, vel extra officium, vel in officii functionibus, si ve verbis, si ve realiter, læso, adversus iniquè lædentem, ad impetrandam satisfactionem, et, pro ratione utilitatis Reip. ad poenam tam in libello descriptam, quàm extraordinariam officio judicis imponendam.

Th. II. *Justitiam* hujus actionis nemo, uti reor, sanior indubium vocabit. *Causam* namque *efficientem* si species, eandem exhibet præceptum juris Naturæ, neminem lædendum esse; scilicet non quoad corpus solùm, sed famam etiam existimationem pariter, ac dignitatem, *arg. l. 5. §. 1. de Extra. ord. cognit.* Consentiant jura Gentium, Romana, quid? Divina positiva tam Veteris, quàm novi Testamenti, quæ summi semper Numinis Ministros sacrosanctos voluerunt, eorundemque neglectum, multò magis injuriam, ægerrimè tulerunt, uti passim Biblia evolventi erit obvium, *add. Esai. 58. v. 1. Ezech. 33. v. 7. & 8. Job. 8. v. 44. 2. ad Timoth. 4. v. 2. 2. ad Corinth. 5. v. 20.*

Th. III. *Subjctum & materiam in quâ* Sacerdos ipse repræsentat, qui, si ve injuriam patiat ut homo absolute consideratus, si ve ut Sacerdos, eandem vindicare valet, remediis scilicet legitimis, & interveniente Magistratus officio. Idque, ampliando ex communi injuriarum actionis doctrinâ, verum
adopi-

adopinor, tametsi injuria non immediate personæ Sacerdotis, sed solum per consequentiam inferatur; puta, si personæ potestate vel affectui ejusdem subjacentes contumeliâ afficiantur: inter quas numero (1.) si atrox injuria, & in specie dominum respiciens in servum vel famulum committatur, *arg. §. 3. Instit. l. 15. §. 35. 44. 45. 48. ff. de injur.* Idem dicendum de liberis, uxore, sponsâ, nuru, &c. quas sciens ad Ministrum verbi divini pertinere injurians in contemptum ejus lædere præsumit, *arg. l. 30. §. 1. l. 1. §. 3. & 9. l. 15. §. 24. h. t. (jung. d. 8. membr. 2.)* Excipit quidem *Eckolt. n. 10. comment. ad h. t.* filios emancipatos, *arg. §. 2. Inst. h. t.* quem tamen ex ratione allatâ sequi non valeo: quemadmodum in foro theoretico opinionem *Hahn. ad Wesenbec. h. t. n. 6.* defendi posse autumo, ut ut cum Practicis contradicat *Carpzov. lib. 1. decis. 33.* quem approbat *Eckolt. l. c. n. 11.* Sed hæc ita demum procedunt, si ab agente procul sint rancor, & intentio ultionis, ubi Magistratus suppetit copia, privatæ, *Dn. Zigler. ad Grot. l. 1. c. 2. §. 8. n. 7. pag. 91.* E contrario ille præ se ferat reparationem damni vel verbaliter, vel realiter illati, cum emendatione vulneratæ per injuriantem Reipublicæ, *jung. Paul. Layman. Theolog. Moral. lib. 2. tract. 3. cap. 4. assert. 3. n. 3. Didat. Covar. Resolut. lib. 2. cap. 10. num. 7.*

Th. IV. Non obstant assertioni meæ verba Christi *Matth. 5. v. 38.* ubi ad discipulos suos, audistis, inquit, dictum fuisse oculum pro oculo & dentem pro dente. Ego verò dico vobis, ne obsistite injurioso, sed cædenti te in dexteram maxillam quoque alteram obverte. Ex quibus colligunt multi, nullam injuriam homini Christiano (multò minus verbi divini ministro) aut repellendam, aut vindicandam, sive publicè, sive privatim; sed tolerandam potius, & Deo committendam esse. Veruntamen verborum Salvatoris genuinus tenor videtur esse sequens: *Cedendi injustè Te privatim in dexteram maxillam,*

xiam alteram quoque, si forte Magistratus justitiam tibi ad-
ministrare recusat, obverse potius, quam ut velis indulgere
rancori, & vindictæ privatæ, vid. Dn. Pras. in not. ad Grot. de
J. B. & P. l. 1. c. 2. §. 8. num. 3. Quamvis non respuam cum Dn.
Zigler, in not. ad Grot. l. c. & Osland. ad cit. cap. 5. Matth.
hanc de alapâ locutionem esse figuratam, quasi dicat Christus,
adeò te dedecere esse studiosum privatæ vindictæ, ut paratus
potius sis novam injuriam accipere, quam veterem vindica-
re; quam explicationem probat ipse Grotius l. c. num. 8.

Th. V. *Objectum* sive *materiam circa quam* exhibet læ-
dens Sacerdotes, & quidem vel *realiter*, pulsando aut verbe-
rando, aut ædes eorum vi introeundo, *arg. §. 8. Inst. l. 5. pr. ff.*
de Injur. vel *verbaliter*, convitium iisdem inferendo, tam vi-
vâ voce, quam scripto; sub quo etiam & quidem non imme-
ritò intelligo libellum injuriarum, actionem famosam (v. g.
ad palinodiam & poenam criminalem) comprehendentem &
absq; causâ sufficiente (secus si rationabilis fuerit, *vid. Memb.*
2. §. 10.) adversus ministrum verbi exhibitum, *Carpzov. Ju-*
rispr. Consist. lib. 3. tit. 9. def. 100. ubi Elector Saxonix M. O-
ctobr. 1618. eundem in modum rescriptit; cujus rescripti ver-
ba *vid. in th. 7.* De aliis speciebus ex professo egit
Berlich. part. 5. concl. 50. per tot. nimirum si quis ad in-
juriam sacerdotis vestem, quam ei portare non licet, ges-
serit, cumque Germanicâ voce: *du:* nominaverit, &c.
Præterea hic non distingvendum arbitror, u-
trum moraliter (svadendo nimirum aut mandando) an verò
physicè quis injuriam committat, *l. 11. §. 3. 4. 5. 6. ff. h. t.*
Nam quod quis per alium facit, per se fecisse putandus est,
juxta canonem vulgarem. At si fortè mandatarius etiam abs-
que mandato injuriam illaturus fuisset sacerdoti, & mandans
hoc scivisset ac credidisset, an nihilominus hic injuriarum
conventri posset? dicerem quod maximè, modò mandatum
seriò & cum animo doloso (qui, ubi versamur in actu, uti hic,

B

illici-

illicito, regulariter præsumitur) fuerit conjunctum: nec valet hoc loco argumentatio, quam in homicidio adhibet *Carpzov. prax. crim. p. 1. q. 4. n. 29.* Forma est cum generalibus injuriarum actionibus communis. Idem dicendum de *Fine, & Effectu*: nisi quod hic posterior non minus in civili æstimatoriâ & ad palinodiam; quam in extraordinariâ actione criminali tanto existat gravior, quanto persona ministrorum Verbi Divini cæteris ex plebe dignior habetur.

Th. VI. Variè autem hæc injuriarum actio instituitur, quandoquidem vindicare injuriam suam Sacerdotes valent non solum remedio descendente ex Edicto Prætoris, ad æstimationem injuriæ illatæ certâ pecuniæ summâ, (quæ, uti in dolore corpori illato rectè à patiente peti pro satisfactioe potest, ita quoque in dolore morali bonæ famæ conciliato legitimè exigitur; tametsi concedam, famam intrinsecè æstimationem non recipere) sed & ex lege Corneliâ, præprimis si injuria manu facta, atque realis fuerit. Ac licet hæc posterior olim criminalis tantum fuerit, per ea, quæ tradit *Magnificus Dn. Scruv. Ex. 48. d. 58. cum Hortens. ad S. sed postea Prætores. pag. 394. Inst. de Injur.* tamen ex moribus perinde, ut Prætoriana, civiliter ad certam mulctam pecuniariam intentari, & cum priori æstimatoriâ concurrere potest, quod praxi nostræ conforme esse, attestatur cum aliis multis à se allegatis *Carpz. prax. Crim. part. 2. quest. 65. num. 26. & seqq.* Cui quidem in foro theoretico, sed absque effectu, contradicit *Eckolt. ad h. l. §. 16.* Falsum quippe est (1.) has duas actiones ad eundem finem tendere, cum unâ satisfactio partis, alterâ Reip. peratur. (2.) Specialis ratio est libelli famosi, de quo agit *JCrus in l. 6. h. l.* & in specie à communibus injuriarum prosecutionibus distinguit. (3.) Non video, quid sibi *Eckolt.* cum *l. 7. §. 1. h. l.* velit: cum *Carpzovii* sermo non sit de facto, quod principaliter habet publicam executionem, v. g. homicidio, veneficio, paricidio; sed de injuriâ ad privatam causam pertinen-

ts

te & privato illatâ, ratione cuius non prohibetur privato agere iudicio, quod publico iudicio præiudicatur, *l. c. 6.* hoc est, quod publicum iudiciû præcedit, *arg. l. 4. ff. de Publ. Jud.* Hisce adjici possent secundum consuetudinem fori nostri duo remedia moribus introducta, quorum primum vindicativum vocatur *Palinodia*; alterum defensivum *Retorsio*, de quâ tamen, cum lege permittente & approbante fiat, supervacuum hic iudico cum *Eckolt, h. l. §. 20, p. 801. vers. hoc autem.* & *Pfankuch. special. Tract. de hæc quæst.* pluribusque ab iisdem citatis disceptare, num illicita sit vindictamque privatam sapiat, nec ne? *vid. huj. Memb. 1. th. 17.* Interim præter hanc cumulationem non deest denunciatio ac concessio delicti magistratui facta, nec non criminalis accusatio, pro ratione circumstantiarum, temporis, loci, causæ, &c. extra ordinem ad poenam relegationis, carceris, fustigationisve, imò mortis aliquando, *vid. th. 14. 15. Memb. 1.* instituenda. Atque de hæc posteriore, utpote singularia multa post se trahente, uberi or mihi imposterum sermo erit: cum actiones priores jam enarratas, inque actu signato probè cognitæ ex generali injuriarum materiâ facillimè hûc applicare cuilibet sit integrum.

Th. VII. Agunt itaque actione Criminali Sacerdotes, quâ vel officio sacerdotali actu fungentes, vel extra illud læsi animadvertuntur. *Horum* temeratores iterum vel verbaliter & scripto injuriam intulerunt, vel realiter: *Sin prius*, certo respectu mitius quidem, sed nihilominus acerbius, quam regulariter injuriantes solent, puniuntur, insimulque (salvâ deprecatione charitativâ, vulgò *Christliche Abbitte* & actione civili aliâ) ad confessionem & absolutionem sacram, ante seriam commissorum agnitionem, non admittuntur. De ejusmodi verbali injuriâ *vid. Judic. Facult. Theolog. Jenens. apud Dedeken. append. nov. ad loc. de sacr. Cæn. sect. 6. n. 7. p. 424. in Questione: Ob ein Weib / die Ihrn Weichtvater injuriret / nicht schuldig sey denselben Abbitte zu thun / und wie sich der Weichtvater gegen Sie verhalten solle / wenn sie in wehrender*

Unversöhnlichkeit zum Beichtstuhl kömpt? Ratione injuriæ
scriptæ pro me loquitur in singulari casu Responsum Electro-
rale apud *Carpozovium* in *l. 5.* citatum: P.P. Wir haben etc.
wann aber aus unsers Consistorii Bericht genugsam erschei-
net/ daß Supplicant vorerwehnten Superintendenten mit einer
schmäligen Injurien Klage zubelangen nicht Uhrsach gehabt.
Als können wir Ihme seinem Muthwillen also ungestrafft nicht
hingehen lassen; Hierauf gnädigst begehrende/ Ihr wollet bey-
de Personen alsbald vor euch forden/ N. seinen Unfug in Ernst
verweisen/ ihn zu einer Christlichen deprecation anhalten / und
hernach Ihr der Hoffrichter denselben andern zum Exempel et-
liche Tage mit Gefängnis- Straffe belegen lassen. Quan-
quam si injuriarum actio in factum saltem fuerit & non ad
famæ imminutionem instituta, simplicem correctionem
cum refusione injuriarum processualium, & comminatione,
nî imposterum fit cessaturus à proposito suo culpabili, pœ-
næ severioris dictatam fuisse à Scabinis Jenensibus doceat
Fibig. Colleg. legal. Publ. Frantzck. Ex. 12. q. 3. num. 23. p. 541.
in Verb. Wofern es erzehlten eurem Bericht nach bewand/ so ist
aus denen von euch angezogenen und andern Rechts-Gründen
mehr bey so gestalten Sachen gedachter Pfarrer von angestalt-
ter Klage zu entbinden/ und wird von der hohen Obrigkeit denen
Klägern diß ihr Vornehmen billig verwiesen/ auch ihnen zu-
gleich/ daß sie hinfuro in seinen anbefohlenen Ampte ibnunange-
sochten lassen / und nechst deme die verursachte Unkosten erstat-
ten mit Ernst auferleget. *B. R. W. (confer tamen, quæ dixi
in memb. 2. l. 10.)* De cætero idem de alio convicio verbali,
scriptoquæ præjudiciali (modo non pasquillus fuerit) ani-
mo destinato concepto judico. *Sin posterius* evenerit, durio-
rem itidem nemesis adhibitam licio, quam in communi in-
juriarum animadversione applicari moris est. Sic responde-
runt Scabini Lipsienses Anno 1630. Mens. April. Præfecto in
Wtengottern/ (de quo *Carpz. prax. Crimin. part. 2. quest. 99.*

311

num. 17.) dictantes relegationem ad biennium ei, qui ministro Ecclesiae alapam impegerat. Imò apud veteres considerabilior poenae rigor observabatur: Hinc Leo & Anthemius Augusti executores olim clericos contumeliis vexare, impulsionibus molestare, convitiis exprobrare, aut corporalibus injuriis fatigare conantes, post amissionem cinguli & patrimonii, ultimâ protinus animadversione plectebant, quorum assertum suum fecit Justinianus l. 33. §. 6. C. de Episcop. & Cleric.

Th. VIII. *Jure Canonico*, quod aliàs iure Civili mitius est, hoc crimen perpetrans banno Ecclesiastico innodatur ab Innocentio Papa II. in Concilio Lateranensi, c. 15. ubi, si quis, inquit, suadente Diabolo huius sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum vel Monachum violentas manus iniecerit, (idem si pedibus conculcet, vel si spuerit, vel perfuderit eum aquâ stercoreque, vel si ruperit vestimenta eius, *Gloss. ad can. 29. XVII. q. 4. pag. 333. Jacob. Menoch. cas. arbitr. 389. num. 3. & 17. pag. 708. cum Bartol. in l. 1. §. hoc autem. ff. de Nov. Oper. Marfil. Singul. 188.*) anathematis vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, cuius mandatum suscipiat; Quod adeò verum arbitratur *Hosiensis* cum multis Canonistarum, ut etiam Legatus de latere missus non possit absolvere excommunicatos, qui enormiter læserunt Clericum, nisi hoc specialiter Papa concedat, quorum opinionem examinat *Guid. de Bayso, Archidiacon. ad can. cit. 29. num. 3. pag. 235. add. Egid. Bellamer. ad can. cit. num. 3. & 20. pag. 1431. & seqq.* Interim cum canone hoc concordat Papa Alexander II. in can. 22. l. c. statuens, si quis priorum aut cuiuscunque ordinis laicorum Episcopum comprehenderit, percusserit, aut aliquâ vi à propriâ sede expulerit, nisi fortè iudicatum canonicè, auctores & cooperatores tanti

sceleris anathematicentur, & bona eorum Ecclesiæ ipsius iure perpetuo tradantur. Si verò in presbyterum, vel in quemcunque inferiorum graduum clericum hæc eadem præsumserit, canonicæ pœnitentiæ atque depositioni subjacebit. Si contumax fuerit, excommunicetur.

Th. IX. Hoc multò magis, secundum idem ius canonicum, exasperatur flagitium, si quis Cardinalem occiderit, ubi homicida ipso factò est excommunicatus, & singulis diebus Dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, per omnes istius loci Ecclesias, in quo tantum facinus fuit attentatum, nec non Civitatum & Diæcesium vicinarum excommunicatus publicè denunciatur. Quod etiam contra illos fit, qui Cardinalem percutiunt, hostiliter insectantur, vel capiunt, vel quid simile committunt, puta socii sunt facientis, aut fieri mandant, vel factum ratum habent, aut consilium dant vel favorem, aut postea receptant, vel defensant scienter maleficos. Sic ut rei criminis læsæ Maiestatis perpetuò sint infames, diffidati nihilominus & banniti, sint intestabiles, ut nec testamenti liberam habeant factionem, iuxta *cap. felicis. 5. X. de Pœnis. in 6.* nec ad alicujus bona ex testamento, vel ab intestato vocentur: Quatenus ab omni successione repulsi, publica que repulsâ confusi minus inveniunt suæ malitiæ successores, fiant habitationes eorum desertæ, & ut non sit, qui eas inhabitat, dentur cuncta eorum ædificia in ruinam, & ut perpetuæ notam infamiæ perpetua ruina testetur, nullo tempore reparentur: nullus eis debita reddere, nullus respondere in iudicio teneatur: Quicquid etiam in bonis invenitur ipsorum, Fisci vel Reip. dominio applicetur, ut ex illis nil transmittant ad posteros, sed potius cum ipsis quodammodò damnentur & sua, &c. *add. Limn. ad Capitul. Carol. V. pag. 96. num. 65. & seqq. De jure Judaico vid. Exod. 22. v. 28. Deuter. 27. v. 12. Act. 17. 23. v. 5.*

Th. X.

Th. X. An verò percussus consanguineum Clerici, ipsius Clerici contemplatione, similiter in excommunicationis poenam (de quâ *supra th. 8.*) incidat, uti cum *Felino, & Romano* contendit *Marsil. l. cit. sing. 294.* meritò ambigo per ea, quæ tradunt *Mench. l. cit. n. 18. Socin. in l. mulieri. ff. de Condit. & Demonst. Jason. in l. de pupillo. §. si quis ipsi Pratori. de Nov. oper. nunc. & Tiraquell. de Pen. leg. caus. 5. num. 74.* nisi fortè de jure stricto loquaris, quod tamen semper in materiâ poenali æquitas in justitiâ fundata, temperare solet. Interim hoc in passu in suo generali manent vigore Sacerdotibus omnes injuriarum actiones, juxta ea, quæ sustinui in *th. 4.* Totò quippe cœlo differunt, actionem injuriarū propter amicos in sui contemptum violatos instituere posse poenalem, & eandem ex actione poenali applicationem utrobique impetrare: illud concedo, hoc pernego.

Th. XI. *Illorum* durior sententia reperitur in *l. 10. C. de Episcop. & Cleric.* ubi iuxta summam *Bald. & Salycet. ad h. l.* irruentes in Ecclesiam eiusque ministros capitaliter puniri debent, etiam per inquisitionem, quemlibet ad accusandum vel denunciandum admittendo. Capiendi autem rei dicuntur, ubicunque inveniantur, extrahendive tam ex arce, quam ex alio loco munito, & privilegiato, adhibitâ ad hoc, ubi opus est, armatâ manu, uti & bello omnimodò indicto. En ipsâ Imperatorum *Arcadii & Honorii* in lege hâc ponderosâ verba: Si quis, innuunt Illi, in hoc genus sacrilegi proruperit, ut, in Ecclesias Catholicas irruens, sacerdotibus & ministris, vel ipsi cultui locove aliquid importet iniuriæ, quod geritur, à provinciæ Rectoribus animadvertatur, atque ita provinciæ moderator Sacerdotum & Catholicæ Ecclesiæ ministrorum, loci quoque ipsius & divini cultus iniuriam capitali in convictos seu confessos reos sententiâ noverit vindicandum: nec exspectet, ut Episcopus iniuriæ propriæ ultionem deposcat, cui

cui sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit. Sitque cunctis laudabile, factas atroces Sacerdotibus aut verbi Ministris injurias veluti crimen publicum persequi, ac de talibus reis ultionem mereri. Quod si multitudo violenta à civilis apparitoris executione & adminiculo ordinum vel ordinatorum possessorumque non poterit *flagitari* (vel *presentari*, iuxta *Codic. Theod.* Lektionem tamen Florentinam retinet *Haloander*) quod se armis aut locorum difficultate tueatur: Præsides provinciarum etiam militari auxilio per publicas literas appetito competentem vindictam tali excessui imponere non morentur. Quamvis hanc poenæ generalitatem suo iterum modo restrictam voluerit Justinianus, sequentia sanciens in *Novell. 123. cap. 3.* si quis, cum sacra ministeria celebrantur, in sanctam Ecclesiam ingrediens, Episcopo, aut Clericis, aut ministris aliis Ecclesiae iniuriam aliquam inferat, iubemus hunc verbera sustinere, & in exilium mitti. Si verò hæc sacra ministeria conturbaverit, aut celebrare prohibuerit, capitaliter puniatur: hoc ipso & in Litanis, in quibus Episcopi aut Clerici reperiuntur, constituendo. Et si quidem iniuriam solum fecerit, is verberibus exilioque tradatur: si verò etiam litaniam concusserit, capitale periculum sustinebit. Et vindicare iubemus non solum civiles, sed etiam militares iudices.

Th. XII. Moribus nostris distinguere solent, utrum Sacerdos officio suo fungens lædatur *verbaliter*, an verò *realiter*. *Sin illud*, cessare capitale gladii supplicium volunt, substituentes in *Foro magistratus politici atq; civili* (1.) multam pecuniariam. Hinc, referente *Finckelthuf. Observ. 72.* Consistorium Lipsiense contra Nobilem quendam ita pronunciavit: *Dero wegen Beflagter flagenden Pfarrern / daß er ihme in seiner Predigt öffentlich einge-redet / und iniurirt / (dixerat enim, du leugest / du verlogener Pfaffe / du leugest alles was du auf der Kanzel*

zel redest/der Teuffel redet aus dir/du meinst niemand anders als mich) eine Gerichtliche Erklärung und Christliche Abbitte in Churfürstlichen Sächsischen Consistorio allhier zu thun schuldig/ welche hernach zu N. von der Sankel öffentlich verkündiget/ und N. hierüber mit 500. Reichs Thaler in Churfürstl. Durchl. Rent Kammer zuentrichteten billich gestraffet wird. Nonnunquam loco pecuniae (2) carceris poena substituitur, respondente hoc modo Consistorio Supremo Mens. Jun. 1627. ap. Carpz. in Jurispr. Consist. lib. 3. tit. 8. defm. 95. num. 21. pag. 176. in verb. Wir haben euren Bericht etc. welcher Gestalt N. dem Pfarrer dieses Orts in der Kirchen bey gehaltenen Catechismus-Lehre sich widersetzet / und denselben mit Worten übel angelassen/ vernommen etc. begehren hierauf etc. Ihr / die Beampte/ wollet von der Delinquentin etliche gute Schock ihren Vermögen nach der Kirchen zu N. anzuwenden/ und zu berechnen einbringen/ oder sie / andern zum Abscheu / mit vier Wochen Gefängniß-Straffe belegen lassen.

Th. XIII. Solet quoque in *Foro Ecclesiastico* adiaci suspensio ab usu Sacramentorum & deprecatio, item denominatio publica, quid? quod plenaria excommunicatio imposita reperitur, uti haud obscure colligere est ex *preced. th. prejud. 1. verb.* von der Sankel öffentlich verkündiget. *Add. Dedeken. Consil. Eccles. vol. 1. part. 3. lib. 1. memb. 3. sect. 3. num. 18. pag. 892.* Qui testatur de foemina, quae Pastori suo pro concione die Passionis Christi de falsis testibus contra Christum adductis dicentis, & ad se quoque, qui falsis testimoniis hominum turpitudine & adulteriis infamiū gravaretur, historiam illam accommodanti, non obscuris quibusdam indiciis & designationibus mota, ut existimaret, se praeter ceteris notari, & quasi ipsa adulterii rea esset, perstringi, publicè respondit, & scelerati mendacii ac commisi antea bis periurii coram omnibus arguit. Propter quod facinus, praemisso Calandii, seu

secu Consistorii consilio, non solum eo loco, quo scandalum commisit, sed in vicinis etiam Ecclesiis publice excommunicata est. *Et num. 19. pag. 893.* ubi Consilium Facultatis Theologicæ Rostochiensis M. Januarii Ann. 1574. in eadem causa producit: Nach deme N. N. ihre Pastorn, da er in seinem öffentlichen Ampte gewesen / in der Predigt / aus gefasseten Argwohn öffentlich widersprochen / und ihn gescholten / welches ihr billich nicht gebühret hätte / und also dadurch ein öffentliches Argerniß angerichtet / sich gegen Gott und das heilige Predigampt vergriffen. Als ist billich und Christlich / das sie solche ihre Sünde erkenne / sich dieselbe lasse von Herzen leid seyn / und sie Gott / ihren Pastorn, und der geärgerten Gemeine Abbitte. Darauf sie auch der Herr und der Herr (Probst /) Cailand des Bannes / darinne sie eine Zeitlang gewesen / ohne Zweifel erlassen wird. Porro emigrationem & relegationem dictatam novimus, quemadmodum de Nobili quodam refert *Coler. decis. 78. num. 3. pag. 550.* cui migratio ex territorio Domini ac venditio bonorum ibidem situatorum à Scabinis Lipsiensibus propter hoc flagitium adjudicata fuit. Imò personarum vilitate & convitiarum enormitate aliisque circumstantiis singulariter exposcentibus, ad fustigationem aliquando perveniri posse, omnino certum esse arbitror.

Th. XIV. *Realiter* offensus in officio sacro occupatus Sacerdos, facit reum ejusque mandatarios & auxiliares gladio ut plurimum plecti, juxta *Coler. l. c. n. 1. & 4.* qui Lipsienses Anno 1551. quæstori Wimarienti hoc modo respondisse meminit, *Carpzov. Jurispr. Consist. l. c. n. 14. & prax. Crim. part. 1. q. 44.* qui M. Sept. Anno 1569. Lipsiæ sequentem sententiam prolatam scribit: Würde N. auf dem von seiner wegen gethanen und eingebrachten Bekänntnisse freywillig verharren / oder des sonst / wie recht / überwiesen; als nemlichen / daß als der Priester und Caplan davon in actis und seinem Bekentniß gemel-

meldet/ in der Kirchen gestanden/ und ein Kind zu tauffen ange-
fangen/ er inquit einen Jungen mit zwey Pferden vor der Kir-
chen halten lassen/ und seine andere Diener und Pferde vor die
Thore geschicket / und in Stieffeln und Sporen in die Kirche
gangen/ und einen grossen Prügel gehabt/ und als Er den Cap-
lan mit dem Kinde bey der Tauffe gefunden / hinzugetreten/
denselben mit einer grossen Peitschen auf die Haut gehauen/ und
mit dem Prügel nieder geschlagen und die Tauffe des Kindes
verhindert. So würde Er von wegen solches in der Kirchen/
an den Priester über der Tauffe begangnen und verübten Fre-
vels / Gewalt/ Verhinderung/ und turbirunge/ des Heiligen
Göttlichen Sacraments der Christlichen Tauffe alles seinet-
halben beschehenen Fürwendens ungeachtet/ Vermöge gemei-
ner beschriebenen Rāyserlichen Rechte mit dem Schwert vom
Leben zum Tode billich gestrafft/ B. R. W.

Th. XV. Antequam tamen capitali supplicio propter hoc
delictum in aliquem animadvertatur, quatuor conjunctim
requirunt Doctores (1) ut offendatur non verbis tantummo-
dò, sed etiam verberibus, vi & facto minister verbi; (2) in lo-
co Ecclesiæ; (3) eo tempore, quo tractat ac ministrat divina;
& (4) per hoc Sacra turbentur. Idque adeò verum existimant
*Carpz. cit. Jurispr. num. 15. Coler. l. c. n. 3. Finckelthuf, l. c.
n. 5.* ut si unum tantummodò ex illis requisitis deficiat, ne-
quaquam tam rigorosè procedendum esse velint. Quam-
vis constet ex *Matth. Berlich, part. 4. conclus. 20. pag. 147.*
Scabios Lipsienses M. Majo Anno 1576. contra quosdam,
qui ministrum aliquem verbi divini, dum sacrorum cele-
brandorum causâ ad vicinam Ecclesiam ire vellet, in itinere
expectarunt, eumque multis vulneribus affecerunt, & à con-
cione sacrâ ac Coenæ administratione impediiverunt, gladii
poenam adjudicasse: Tenor sententiæ ita se habet: Aber N. dē
Kirchner und N. den Stadtknecht belangende/ welche bekennet/

E 2

Das



daß sie sich mit Gelde bestechen lassen/ den Pfarrern N. zu schlas-
gen/ und haben also vorsehlichen und aus arger List gedachten
Pfarrern / als Er am heiligen Sontage auf sein Filial/ seine
Predigt und Pfarramt aufzurichten/ hat gehen wollen/ ver-
weglagert/ und ihme viel Wunden nach vermöge Euers Be-
richts beybracht / auch die kleine Röhre am lincken Arm ent-
zwey geschlagen/ und Ihn also liegen lassen/ daß Er aus Ohn-
macht nicht hat fortkommen können/dadurch die Predigt Gött-
liches Worts und Reichung des heiligen Sacraments verhin-
dert und verblieben/ werden derowegen mit dem Schwerdt vom
Leben zum Tode gestraffet/ **B. R. W.**

Th. XVI. Hæc quidem de injuriâ ejusque vindica-
tione *simplici* Sacerdoti illatâ dicta sufficiant. Pauca nunc
monenda habeo de *qualificatâ* propter singularem abomina-
tionem legis positivæ, per quam hic intelligo *pasquillum* si-
ve libellum famosum: Quando v. g. aliquis dolosè ad in-
famiam Sacerdotis compositionem in scriptis factam publi-
co in loco affixit, vel alio quodam singulari modo notabile
crimen (puta simoniam, blasphemiam, item adulterium,
homicidium, falsificationem monetz territorialis aut Im-
perij, assassinium, prodicionem patriæ &c. Secus est, si nullum
tale crimen objiciatur, sed quis Sacerdos saltè contumelioso
nomine juxta & ludibrij causâ in cantilenâ publicâ vel rhy-
thmo, comediâ &c. huscus, fatuus, scarta, spurius, pedi-
culosus &c. appelletur) eidem impegit, veluti picturâ, aut
sculptili famoso, similiter epigrammate infami, aut extre-
mè præjudiciali, scelusque continente carmine, tamen si for-
tè scripto non comprehenso, *arg. l. 5. §. 9. & 10. ff. de injur.*
Reformat. S. P. zu Augspurg/ 1548. Tit. 34. von Schmäb-
Schriften/ Gemälden und Gedichten/ §. 2. ibi. desgleichen
auch nicht schmäblichs/ pasquillisches etc. in was Schein daß
beschehen möchte/ gedicht/ geschrieben/ in Truct gebracht/ ge-
mahlt/

mablt / geschmilt / gegossen und gemacht / &c. add. R. A. de
anno 1577, Tit. 35. §. 2. Harprecht. ad §. 1. Instit. de injur.
num. 150. & seq. p. 773. ibique Dd. Nec distinguendum pu-
to cum Eckolt, ad h. t. §. 31. Carpzov. Prax. Crimin. p. 2. q.
98. num. 24. & seqq. ibique plur. alleg. Dd. an infamans no-
men suum pasquillo subscripserit, nec ne: Ducor ad hoc
per arg. cit. leg. 5. §. 9. & Ordin. Polit. Anno 1577. Tit. 35. §.
und setzen. verb. Es habe der Autor seinen Nahmen darunt-
ter gesetzt oder nicht / ubi particula, quæ ibidem ponitur,
etiamsi: est implicativa, includens casum minus dubita-
bilem, vid. Cardinal. Tusch. Tom 2. conclus. pract. 275. num.
1. & seqq. lit. D. verb. dictio. Putat quidem Carpzov. l. c.
num. 38. in allegato textu l. 5. de poenâ famosi libelli planè
non agi, sed de poenâ injuriarum: Quoniam prior illa lon-
go post tempore fuit introducta, arg. l. unie. C. de Famos. Li-
bell. Sed falsum & planè cerebrinum, adeoque contra ex-
pressâ verba contextus Imperatorii est horum Dd. assertum.
Largior equidem, de aggravatione poenali ex Constitutioni-
bus Principum, de quâ l. un. C. loquitur, ibidem non agi;
at inde non sequitur, de famoso libello, ejusque poenâ ex
SCto proveniente Jam sermonem nullum habuisse:
Quoniam aperta sit mentio intestabilitatis, quæ injuriantem
simplicem, sive verbis, sive scripto egerit (excepto pas-
quillante) regulariter non sequitur, arg. l. 18. §. 1. qui testam-
facer. l. 21. princ. ff. de Testib. Taceo, quod in Pandectis
injuriæ simplices & famosi libelli disertis verbis distinguan-
tur, vid. Rubr. ff. de Injur. & Famos. libell. adeoque poena
famoso libello, absque respectu injuriæ simplicis, uti hic fit,
(Nam de hac restrictione verba textus nihil proferunt) ex
SCto destinata de eodem præcisè intelligi debeat. Ad reli-
quos textus, præprimis ad Ordin. Crimin. Carol. V. art. 110.
verb. und sich nach Ordnunge der Rechte mit seinen rechten

Tauff- und Zunahmen nicht unterschreibt. responderunt diu
ante me Harprecht. l. c. num. 154. & seqq. p. 224. Matth.
Stephan. ad cie. art. 110. num. 2. & 3. pag. 131. Patere quip-
pe, putant illi, Carolum V. non loqui de subscriptione com-
ponentis famosum libellum, sed potius agere de illâ subscri-
ptione, quæ secundum ordinem juris (nach Ordnunge der
Rechte) fit in iudicio ab accusatore, qui crimen aliquod ad-
versus alterum intentat, de quâ in l. libellorum. 2. l. si cum
crimen. 7. ff. de accusat. l. pen. & fin. C. h. t. Potest igitur
Pasquillo petitus Sacerdos, præter actionem injuriarum
communem, de quâ supra th. 6. instituere & formare libel-
lum tam ex SCro, uti mox ante monitum, ad poenam hanc,
ut infamans reddatur intestabilis; quàm ex Principum Con-
stitutionibus, ad supplicium capitale: quibus jungenda, ju-
xta mores nostros Imperii, verba sep. cit. art. 110. Wo je-
mand durch Schmach-Schrift / zu Latein liber famosus ge-
nant / &c. unrechtlicher / unschuldiger Weise Laster und Ubel
zumisset / wo die mit Wahrheit erfunden würden / daß der Ge-
schmähet an seinen Leib / Leben oder Ehren peinlich gestrafft
werden möchte / derselbe Boshaffte Lasterer soll / nach Besin-
dunge solcher Ubelthat / als die Rechte sagen / mit der Poen /
in welche er den unschuldigen Geschmäheten durch seine böse un-
warhaffte Lasterchrift hat bringen wollen / gestraffet werden.
Non abludit Jus Saxonicum apud Carpzov. cit. prax. Crim.
num. 14. & seqq. Du. Struv. S. J. C. Ex. 48. th. 70. Qui
tamen attestantur, secundum observantiam practicam (quæ
ordinariè legem rigorosam interpretatur) plerumque hodie
mitius in causâ hujus criminis pronunciari solere: Idque
multò magis, si delinquens solum fuerit divulgator, nomen-
que expresserit, aut verum crimen objecerit: item si provo-
catus à Sacerdote læserit, & poenitentiam ductus pasquillum
affixum refixerit, antequam ipsius divulgatio & publicatio
facta

facta fuerit, delictumque spontè sit confessus. Tametsi semper hoc arbitrium discretioni suæ commissum iudicem in hac personæ sanctissimæ violatione ad severiorem, quam communiter fieri solet, vindictam extendere debere arbitrarer, per ea, quæ jam ante ostendi *in th. 5. & seqq.*

Th. XVII. Tollitur quoque hæc injuriarum actio Sacerdoti concessa, periade, ut alia communis, variis modis, quos, juxta diversas ejusdem species, paucissimis perlustrabo. Est igitur *primus* actionem Prætoriam abolendi modus ponendus in morte injuriantis & injuriati ante litem contestatam: quod procul dubio introductum reor, ex singulari dispositione juris positivi, ut non tantum litium aliquis (præsertim in hac facillimè eveniente & frequentissimè societatem humanam lædente rerum circumstantiâ) sit terminus; sed etiam quod homines communiter (tum maximè verò Sacerdotes alios exemplo suo docere vi officii adstricti) qui jam propter fatum imminens derelinquere mundana quæque coguntur, non amplius præsumantur injuriam ad animum revocasse, aut meminisse læsionis sibi proterviter conciliatæ. Sed quid si quis Sacerdos in periculo mortis constitutus, in confessione factâ Collegæ, remittat inimico injuriam? eum in casu dubio per hanc remissionem non solum putarem rancorem & offensam (uti volunt *Ludrv. D. 16. th. 7. lit. d. ibique allegati Dd.*) verum etiam ipsam actionem injuriarum remisisse, ita ut ex post facto ad eam redire non possit, *add. Strauch. Ex. 19. th. 15. Gloss. & Bachov. ad §. fin. Inst. h. t. Eckelt. ad §. 18. ff. h. t.* Nisi fortè ob brevitatem temporis, dum morte præveniuntur verbi divini ministri, actionem instituere impediti, & expressè de prosecutione per heredes instituendâ protestati fuerint. Huc refer, si Sacerdos non immediate, sed per suos, v. g. liberos, uxorem, famulos. etc. (*Vid. th. 3.*) infametur; illis quippe mortuis licet & ex parte sui injuriam remittentibus,



tentibus, nihilominus actio eidem durat, *arg. l. 5. §. 1. h. t.* quemadmodum, ut mox ante resolutum, expirat, si iniuri-
ans optimè conveniri possit, & tamen, quoad vivit, ab iniu-
riato lite non pulsetur: nam & tunc remissionem leges pera-
ctam præsumunt. Aliud insuper fundamentum ponunt
Dd. ex hypothese Juris civilis, quod actiones poenales, qua-
lis est actio iniuriarum, *arg. §. 1. Inst. de perpet. & temporal.*
actionib. ante litem contestatam (exceptâ *l. 3. §. 5. quod quis-*
que jur. cui quidam jungunt *l. 4. & 6. de Magistr. conve-*
niend. quas discutere nolo propter alios, qui hanc postero-
rem actionem immediatè ex lege descendere defendunt) con-
tra heredes non dentur, *vid. Dn. Struv. S. J. C. Ex. 48. §. 63.*
junct. Ex. 46. §. 83. Ast dubium inde alicui oriri posset, an
hæc actio propriè sit dicenda poenalis? Quemadmodum e-
nim dolorem corpori illatum æstimare possum, ita nimi-
um, ut pro iniquè exantlatis cruciatibus *ad recreationem,*
læsa constitutionis pecuniam à lædente petam, *Dn. Struv.*
Jurispr. Forens. lib. 3. tit. 23. §. 20. quæ petitio absque omni
hæsitacione reparatoria, *vid. Dian. Tom. 8. Tr. 5. Ref. 78. p.*
127. ac proinde poenalis ratione petentis (aliud est, si nu-
dum pati lædentis respexeris) dici nequit; Sic & *ad Solamen*
& quasi comparandam refocillationem (non ad vindictam,
vid. l. 4.) *animi* per convitium graviter confusi actionem
æstimatoriam instituo, animadversione poenali judici ac
Reip. ubique salvâ. Veruntamen hæc absque ullius præ-
judicio aut refutatione, ad altiorem modò indaginem The-
oreticis proposuisse juvat, quorum eruditam informatio-
nem nunquam subterfugio aut obstinatus detrecto. Ad ob-
jectionem interim allegatam pro nunc, atque *κατ' ἀνθρώπων,*
ut loquuntur, responderem ex Corpore nostro, negando,
actionem *ad solamen animi* institutam esse perinde, ut ea,
quæ ad curationem corporis suscipitur, æstimatoriam; sed
ad

ad nudam vindictam, lege Justinianea concedente, tendere, vid. Harprecht, ad §. cit. 1. de perpet. & temp. act. quæ tamen, ob defectum privati rancoris, qui ab omni Christiano procul esse debet, non merè privata, sed publica potius per consequentiam vocanda venit. Non enim, sicuti corpus, ita animum cibis potuque recreo, quos fortè per pecunias actionis æstimatoriæ comparo: Quin potius per legitimè intentatam actionem legi publicæ in puniendo injuriante assisto, etsi lucrum inde quæsitum mihi applicare valeam. Alter tollendi actionem injuriarum modus est remissio, pacto vel transactione peracta; eaque rursus vel expressa, vel tacita. De expressâ nil monebo; tacitam locum habere arbitror, quando Sacerdos cum injuriante biberit, luserit, comederit, aut alio modo familiariter confabulatus & conversatus fuerit ante litem contestatam & causam in judicium deductam, unâ in mensâ, proprio motu, non ex officio aut aliâ quâdam honestatis necessitate, e. g. in convivio sive nuptiali, sive baptismali, sive simili quovis, arg. l. 11. §. 1. h. t. l. 27. §. 2. de Pact. Mascard. de Probat. vol. 2. concl. 904. num. 25. Vultei, ad §. fin. Inst. de injur. Quare nec Sacerdos officio suo fungens, ac peccatori injurianti commissorum remissionem nomine Dei annuncians in confessione, wann Er den sündigen injurianten an Gottes stat Vergebung seiner Sünden verkündiget/ und ihn mit Gottes Wort tröstet / actionem injuriarum dereliquisse juxta & cancellasse præsumitur. Tertia abolitio fit per præscriptionem; in quâ contra Sacerdotem inducendâ reperi discrepare jus Civile & Saxonicum: in illo siquidem, nō tam respiciendū venit ad diversas injuriarū species, quàm ad ipsa juris remedia & illorū qualitates. Hinc fit, ut actio æstimatoria Prætoria, sive injuria sit verbalis, sive realis, sive scripta levis, sive atrox, utili tamen anno (ratione nimirum iniitiæ ac scientiæ, Carpx. l. 2. Resp. 110. num. 6. & seqq. quoad cursum

D

sum



sum enim continuis est juxta *Bach. l. c. n. 3.*) finiatur, *l. 5. C. b. s. Franzk. Ex. 12. q. 9. n. 32.* actio verò ex *L. Cornelia*, si illa civiliter agatur, triginta, *arg. l. 3. C. de 30. & 40. ann. praescript. si criminaliter, 20. annis* praescribatur secundum *l. 13. C. ad L. Corn. de Fals.* quo ipso 20. annorum spatio verius est praescribi etiam extraordinariam persecutionem, *Franzk. l. c.* Recantatoriam verò actionem moribus introductam, secundum fundamenta juris Civilis, perpetuam esse, non dubitat *Dn. Gothofr. Schäffer. Disp. inaug. de Differ. jur. Civil. & Saxon. t. b. 71.* per ea, quae tradunt *Berlich. p. 5. conclus. 69. n. 12. Harprecht. ad §. fin. n. 17. Inst. h. e.* Jure Saxonico contrarium obtinet, quoniam hoc non æquè ad diversa juris remedia, quam ad diversas injuriarum species reflexionem habet; hinc leviores injuriæ uno anno (cui sex septimanæ & tres dies non adjiciuntur, uti contra *Joachim. à Beust. in l. 9. ff. de jurejurand. §. si is qui. num. 11. & seq.* defendit *Carpz. p. 4. const. 46. defm. 3. num. 3. & seqq.*) atrociores verò, imprimis reales, triginta demum annis terminentur. Quarto injuria aboletur Sacerdotis retorsione, idq; secundum approbationem magistratus politici hodierni & *mores nostros*: nam de jure civili & divino forensi, quod tamen mutationem admittere valet, hoc illicitum vel potius eidem incognitum fuisse, lubenter *Pfannkuchio & Eckolto* concedo, non obstantibus, quos *Gail. urget 2. obs. 108. textibus l. 25. de Procur. l. 14. §. 6. de Bon. Libert.* Ad hunc enim dicere, aliam esse retorsionem judicialem, aliam extrajudicialem: de priori loquitur textus oppositus, quando scilicet à liberto coram, iudice capitis accusatus Patroni filius, in eum, ad sui liberationem, quasi socium hujus vel alterius criminis, culpam sibi illatam respondit; Posteriores ego hinc inteligo. Ad illum diu ante me satisfecit *Dn. Struv. Tract. de Vind. priv. cap. 10. aph. 6. num. 1. & seqq.* quem

quem vide. *Ulcimò* etiam injuriarum actio tollitur, quatenus poenam Reip. debitam concernit, per jus aggratiandi à Principe susceptum, mediante quo, poena sæpius extraordinaria, imò aliquando nulla imponitur, sed ob certae circumstantias factum injurianti condonatur, de quo notum in viciniâ exemplum, ubi Nobilis, durante concione, Sacerdoti officio clericali utenti, irâ præventus & superatus publicè contradixerat, ac secum rusticos è templo abduxerat, solo in suggestu derelicto Pastore. Pasquilli actionem, quemadmodum in aliis criminibus, quibus brevior vel longior terminus positus non est, viginti annorum spatium terminari adopinor.

Th. XVIII. Coronidis loco adjicere libuit, quæ de injuriâ Pastoribus Rotenburgicis ad Tubarim tempore certæ festivitatis illatâ recenset *Job. Theod. Spreng. Inst. Jur. publ. l. 3. c. 33. num. 5. pag. 500.* Est ibi, inquit ille, certa inter Pastores consuetudo: Omnes ferè, quotquot sunt Pastores, circa duo miliaria ab ambitu urbis Rotenburgensis in Ecclesiâ D. Bartholomæi conveniunt, ibique prius instituto processu in Ecclesiam S. Wolffgangi, è quâ rectâ hospitium aurei agni, vulgo *zum güldenem Lamm*/ petunt hilaritatis officia exercent, & in foro publicam saltationem instituunt, in quam nullus à mechanicis admittitur; quod si verò quis eò audaciæ progrediatur, ut se intrudere velit, conjicitur in *den Köhrfa- sten*/ vulgò *den Herterich*. Demonstravi hætenus, ut puto, satis superque, quemadmodum actio injuriarum, in actu signato probè cognita, possit in actu exercito applicari ad violationem protervam sanctissimorum Verbi Divini præconum: superest, ut etiam operer circa contrarium, actionem nimirum contra Sacerdotem dabilem: unde Tibi, Lector Benevole,

MEMBRUM SECUNDUM
ACTIONEM INJURIARUM
CONTRA SACERDOTE M INSTI-
TUENDAM COMPLECTITUR.

Th. I.

Est igitur hæc quoque actio personalis, orta ex delicto, competens personæ adversus Sacerdotes, qui *vel* extra officium, quod gerunt; *vel* pro concione nominatenus eandem perstrinxerunt; *vel* ita per circumstantias & colores vivos adumbrarunt ac depinxerunt, ut quilibet, quæ notata fuerit, facillimè intelligere queat; similiter qui ab aliis officiis pietatis (v. g. à Sacramento Baptismi, & Patri-natu) personas immeritò depulerunt, aut absolutionem cum administratione Cænæ Dominicæ denegarunt, etc. ad obtinendam penitentiã, & æstimationem pecuniariam; *vel* translationem, etiam remotionem ab officio, & aliam poenam extraordinariam autoritate judicis & Consistorii Ecclesiastici delinquentibus imponendam.

Th. II. Multi quidem hîc mihi facessere negotium fatagunt, qui propter Officium, quod Sacerdotes gerunt, eosdem actione injuriarum minimè conveniendos esse statuunt, moti potissimum per locum *1. ad Timoth. 5. vers. 20.* & textus, quos allegavi *th. 2. memb. 1.* Ex iis nempe elucescere asserunt, non decere verbi Divini Ministros canes esse mutos, aut speculatores coecos, de quorum manu sanguinem impij morientis in peccatis suis Deus est requisiturus: quid? quod Deus ipse Sacerdotibus severè injunxerit clamare, nec cessare, sed, uti tuba, exaltare vocem, annunciareque populo suo transgressionem, ac domui Jacob peccata sua. Sicuti Paulus
lus

lus *l. c.* Timotheum jubet, peccantes coram omnibus argue-
re, quò & cæteri timorem habeant. Ut proinde Sacerdotes
potius ex justo Zelo, & objurgandi, quàm injuriandi animo,
verba, quæ injuriosa apparent, ad versus tertium protulisse
præsumendum foret, *add. Fibig. Colleg. Legal. publ. Ex. 12.*
q. 3. Non abludivit ab hoc *Harpprecht. ad §. 11. Inst. de In-*
jur. num. 33. & 34. pag. 338. Est & hoc, dicit Ille, apud o-
mnes Christianæ professionis homines extra controversiam:
quod hæc in parte fidelibus verbi ministris non ad hominum
favorem, sed solius Dei sacrosanctam voluntatem respicien-
dum sit; utpote, qui functionem illam vocatis legitimè mi-
nistris religiosè commendavit. *Judicate etenim vos ipsi,*
inquiunt Apostoli Spiritu S. pleni, Actor. 4. an justum sit, in
conspectu Dei vos potius audire, quam Deum. Non enim
possumus, quæ vidimus, & audivimus, non loqui. *Quin-*
imò si hominibus adhuc placerem, Christi servus non essem,
inquit Paulus. Et quidem Exemplo Johannis Baptistæ,
qui non dubitavit ipsum quoque Tetrarcham Herodem ob-
incestum adulterium gravissimè objurgare, dicendo: non
licet tibi habere uxorem fratris tui, *Marc. 6. v. 19.* Quam
constantiam & *παρρησίαν* in explendis delegati muneris par-
tibus etiam demonstravit *Matth. 3. v. 7.* quando ad bap-
tismum venientes Phariseos & Sadduceos severissimâ incre-
patione castigat, inquiens: progenies viperarum, quis de-
monstravit vobis fugere à venturâ irâ? De quibus *vid. Aegid.*
Hunn. in Comment. sup. Matth. cap. 14. & c. Hactenus *Har-*
prechtus.

Th. III. Veruntamen hîc generaliter præmoneo, me non
præcisè consideraturum officium sacerdotis ac verba Dei an-
nunciantis taxatorium, in quantum in V. Testamento, aut
in primitivâ Ecclesiâ exercebatur; imò adhuc, abstractâ dif-
positione Consistoriali, exerceri possit; sed quatenus tempo-

ra solùm nostra concernit, & ab inspectione Principis ejusque Consistorii supremi totaliter dependet. Largior proinde lubentissimè, ad officium Ministrorum Verbi, quàm tale, pertinere: taxare, monere, reprehendere publicè & nominatim, solvere, ligare, &c. Dei quippe Oratores sunt & Mandatarii, cujus vicem in terris, respectu prædictorum actuum, apud Reges quoque & integros Populos repræsentant: quemadmodum hujus rei exemplis Prophetarum & Apostolorum, primitivæque Ecclesiæ historia scatet. At inde minimè sequitur, posse hanc corripendi facultatem tempore nostro, ubi Christianismus robur suum, Dei gratiâ, cepit, non certo modo ab eo, qui jura Episcopalia vi superioritatis territorialis exercet, per certa subjecta & quasi gradatim, ut ita loquar, moderari; præsertim ubi tam gravis abusus officii elenchtici, ac immoderata affectuum adhibitio timetur. Hinc rectè omninò jubent Principes Augustani, peccatorem à Sacerdote ex Verbo Dei atque secundum ejus normam & intentionem, perinde uti olim, corripi, habitâ tamen ratione admonitionis graduum, adeoque non vi solius officii, sed insimul, uti par est, expectato Consistorii Ecclesiastici decreto, *vid. l. 4. in fin. ibique S. M. R. D. verb. iedoch vermittelst der hohen Landes Fürstl. Obrigkeit Erkändnisses &c.* quam procedendi formam si neglexerit Minister, utique actionem injuriarum & poenam aliam Consistorialem, tanquam legis publicæ transgressor, evitare nequit. Exinde igitur liquet, quid respondendum sit assentientibus *Harpprecht* atque *Fibigio ll. cc.* Nam si hi loquantur abstractè, item de modo procedendi in Ecclesiâ primitivâ usitato, eis non contradico; quid quod illorū assertum ad meâ hypothesin non quadret, nec applicari possit à talibus, quales illi æstimantur, Ordinationū Augustanæ Confessionis Consistorialium ac Recessuum Imperii peritissimis: quod si verò de more nostratum iis sermo sit, ægrè,

